



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

PRIORI ECCLESIAE
S. Nicolai de Monte secus Narniam
constituta.

Epist. 342.
De privilegiis
& immunitate
illorum.

EA qua sunt juris beati Petri, & ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, sic teneri volumus & servari ab his qui ad eorum sunt custodiam deputati, ne occasione qualibet debeat in posterum ipsi Rom. Ecclesiae aliquod praedictum generari. Cum igitur praedicta Ecclesia beati Petri juris existat, & in ejus sis regimine constitutus, ad exemplar felicitis recordationis Alexandri, Clementis, & Celestini praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum praesentibus tibi literis inhibemus, ne de ipsa Ecclesia nisi nobis & nostris successoribus respondere, aut eam cognoscere ab aliquo, nisi de mandato nostro vel catholici successoris nostri, praesumas. Prohibemus etiam, ne quisquam eandem Ecclesiam violenter intrare, aut ejus possessiones & bona diripere, seu temere audeat perturbare. Praeterea tibi concedimus, ut bona ipsius Ecclesiae, quae ab aliquibus detinentur injuste, licitum tibi sit legitime revocare. Ad indicium autem hujus perceptae libertatis Ecclesia ipsa Romanae Ecclesiae libram cerae quolibet anno persolvat. Nulli ergo &c. Dat. Spoleti VI. Kal. Septembris.

EPISCOPO LIDDEN.

Epist. 343.
De Siculo armet ad bellum
factum pro recuperanda terra
sancta.

CVM te credamus immo teneamus pro certo pro subjectione terrae nativitatis dominicae fideliter haecenus laborasse, ac certum nobis existat quod adhuc super eodem laborare diligenter intendas, sollicitudinem tuam venerabilibus fratribus nostris Tranen. Archiepiscopo, Episcopo Cupersanensi, & dilectis filiis Abbati de Floribus, Priori sancti Andreae de Benevento citra Farum, venerabili vero fratri nostro Syracusanensi Episcopo, & dilecto filio Abbati de Sambucin. per Siciliam, ad proponendum verbum Domini, pro liberatione illius terrae in qua steterunt pedes ejus, & ubi Deus Rex noster ante secula nostram dignatus est operari salutem, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis & dilectis filiis Comitibus & Baronibus, Consulibus civitatum, & populis per totum regnum Siciliae constitutis, immo ipsi & carissima in Christo filia nostra illustri Imperatrici duxi-

mus adjungendam, ut tanto libentius vestrum verbum recipiatur ab omnibus, quanto propositum fuerit cum majoris devotionis affectu, & exilium tuum terrae sanctae detentionem & paganorum barbariam, qui nec aetati nec ordini detulerunt, mentibus omnium repraesentando impressus sigillabit. Qualiter autem terrae sanctae per fratres nostros & nostra disposuerimus subvenire, qualiter & quem ad reformandum inter carissimos in Christo filios nostros Ph. Francorum & R. Anglorum Reges illustres verae pacis concordiam, vel treugas saltem usque ad quinquennium statuendas, & exhortandos fidelium populos ad obsequium crucifixi, quem de fratribus nostris Pisas, quem Ianuam, quem & Venetias propter hoc duxerimus destinandos, quam remissionem his qui Christo exili & exterminio Hierosolymitanae regionis in personis & rebus, & vel in personis vel rebus subvenerint, concedamus, & quod eorum bona sub nostra protectione suscipiamus, eos a sceneratorum instantia relevantes, tibi & praedictis sociis tuis ex forma literarum communium poterit manifeste liquere. Accingere igitur, & assume non nostram sed Domini causam. Sonet vox tua in auribus omnium, necessitatem terrae orientalis, exilium Iesu Christi, causam scilicet tuae legationis, exponens; & cum praedictis vel eorum aliquo, aut etiam solus, si ipsi vel noluerint vel non poterint interesse, taliter quod tibi & ipsis injungitur exequaris, ne appareas in conspectu Domini vacuus, sed ad Hierosolymitanam provinciam multa stipatus militia cum Legatis nostris & ad aream Domini cum exultatione cumalatus manipulis reveraris. Datum Spoleti III. Kalend. Septembris.

E I D E M.

AD sollicitandos fidelium populos ad obsequium crucifixi, ne videamur liberalis Domini dispensatores avari, praeter remissionis gratiam & apostolicae protectionis praesidium, quae ad terram nativitatis dominicae proficiscentibus vel ei subvenientibus indulgemus, gratiam oportet nos facere in aliis etiam speciale, ut tanto libentius itineris Hierosolymitani onus assumant, quanto se amplius viderint ab aliis oneribus relevari. Eapropter, ven. in Christo frater,

Epist. 344.
Ejusdem placet
argumenti.

auctoritate tibi presentium indulgemus ut eos qui terram sanctam in hujus necessitatis articulo personaliter visitabunt, si ob manus injectas in Clericum vinculo sint excommunicationis astricti, nostra fretus auctoritate absolvas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis &c. Datum Spoleti Kal. Septembris.

In eodem modum Tranen. Archiepiscopo, Capersanen. Episcopo, Priori sancti Andreae de Benevento, Syracusan. Episcopo, Abbati de Floribus, unicuique seorsim.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Praelatis per totum regnum Franciae constitutis.

Licet commissa nobis à Domino potestatis ecclesiastica plenitudo universis Christi fidelibus nos constituerit debitores, statum tamen & ordinem conditionis humanae non possumus ampliari, quia juxta verbum Domini cum ad staturam nostram nec cubitum unum valeamus adjicere, vel simul in diversis locis existere; in unius tamen corporis unitate vel ad remota quaelibet in ictu oculi transvolare possumus, & cum Habacuc exuli, Danieli deposito in lacu leonum, per nos ipsos cibi consolationem afferre, ac melioribus nihilominus ministrare. Quia verò lex id humanae conditionis non patitur, nec possumus in persona propria gerere solitudines universas, interdum per fratres nostros, qui sunt membra corporis nostri, ea cogimur exercere quae, si commoditas Ecclesiae sustineret, personaliter libentius impleremus. Cum autem omnes unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra; sic per singulos, cum oportet, in junctae nobis sollicitudinis onera dispensamus, ut cum alter alterius onera supportarit, à singulis lex Christi laudabiliter impleatur. Non enim in uniformitate corporis Christi, quod est Ecclesia, sicut in humani corporis constitutione segregatio partium generat sectionem, sectio verò mortem vel deformitatem inducit; immo segregatio in obedientiae virtute consistens, unitatis est signum: unitas verò verum est indicium caritatis, per quam multitudinis credentium erat (sicut legitur) cor unum & anima una. Sanè licet instantia nostra

quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, nuper tamen nobis sollicitudo potior supervenit: quae, si reliquae cederent, sola tamen sibi nos totos interius & exterius vendicaret, nec sic etiam infirmitas nostra tantae sufficeret gravitati. Recepimus enim literas de partibus transmarinis, quod cum Theutonici, capto Castro Baruth, & Ioppen ab impiis occupata, naves reduces accendissent, Sarraceni, qui ad resistendum eis exercitum paraverant copiosum, sicut locustae, terrae superficiem replerunt: ita quod Christianis gladius foris imminet, metus intus, ut tutum eis non sit in civitatibus & in locis munitissimis remanere. Cum igitur nos ad subveniendum Hierosolymitan. provinciae dilectis filiis nostris S. et. sanctae Praxedis Presbytero & P. sanctae Mariae in via lata Diacono Cardinalibus imposuerimus signum crucis, cum nec Ecclesiae necessitas pareretur nec praedecessorum nostrorum monerent exempla ut itineris Hierosolymitani laborem personaliter subiremus, dictum P. sanctae Mariae in via lata Diaconum Cardinalem, virum scientia, honestate morum, & consilij maturitate praclarum, praecipue ad reformandam inter cariss. in Christo filios nostros Ph. Francorum & R. Anglorum Reges illustres plenae pacis concordiam vel treugas saltem usque ad quinquennium statuendas, & excitandos populos ad obsequium Iesu Christi, duximus destinandum: cui etiam commisimus plenae legationis officium, concessa sibi libera facultate ut evellat & dissipet, aedificet & plantet, sicut viderit expedire. Quia verò ipsum inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestrae per apo. scripta mandamus atque praecipimus quatenus eum sicut Legatum sedis apost. immo Christi, cujus subventionis causa dirigitur, benignè recipientes, & honorificè pertractantes, ea quae super praedictis vel aliis deliberatione provida duxerit statuenda recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis: alioquin sententiam quam in contumaces duxerit proferendam, ratam habebimus & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari: scieturi quod nos in eo, si à vobis honoratus fuerit, credimus honorari, & contemptum ejus proprium putaremus. Datum Reat.

Epist. 345. Ut Legatus apostolicus, qui pacem inter Gallos & Anglos Regem faceret & contra Sarracenos armare debet, humaniter accipiant.

Epist. 345. Ut Legatus apostolicus, qui pacem inter Gallos & Anglos Regem faceret & contra Sarracenos armare debet, humaniter accipiant.

*pulos
idea
ava
ostio
d retenti
emus,
eriam
ineris
uanto
us re
frater,*